

ERASMVS OSVALDV SCHRECKENFVCHSIUS PROFESSOR
Friburgensis.



ERasmus Osvaldus natus est in comitatu Merckenstein Austriae ditionis, anno 1511. Is cum prima literarum fundamenta fœliciter in patria ie- cisset, sese ad uarias Germaniae Academias contulit, atq; in primis Ingolstadij, Lypsiæ, & Basileæ di- ligentem operam literis nauauit. In ijs locis cum præclaram sibi eruditionem cōparasset, sese Mem- mingam amœnam Suevię ciuitatem contulit, atq; in eo loco scholæ præfectus fuit. Postea uero Tu- bingam peruenit, atq; Magisterij gradu ornatus sti- pendio principis Hebræas literas magna laude ex- posuit. Cum hoc modo uarijs functionibus sese e- xerceret, atq; in primis Sebastiani Monasteri præce- ptoris sui exemplo Hebræe linguæ atq; disciplinis Mathematicis operam na- uaret, anno 1551 Friburgum Brisgaudię uocatus est, ut & Mathemata doceret, atq; Hebræe linguæ mysteria explicaret. Id quod ipse singulari dexteritate perfecit, atq; non modò sibi, sed etiam toti academiæ magnam existimationē comparauit. Scriptis quoq; in Sphæram doctissima commentaria, atq; Pro- lomæum egregiè restituit. Inter alias quoque lucubrations Testamentum nouum in Hebraicam linguam primus uertit, atq; scriptum exemplar pro sua humanitate, cum 1555 Friburgi essem, in proprio Musæo ostendit, quod etiā breui ipsum magna Theologorum expectatione in lucem æditurum spera- mus. Huic eruditioni accedit etiam uitæ integritas, & docendi fidelitas, ut merito hoc loco huius uiri ob uarias dotes inter Germaniae proceres mentio facta fuerit, Anon.